

1473 præfectus , cum ingenti evocatorum manu affuit . Peloponnesiacus eques venienti illi objectus est , ac conferto prælio , utrinque cruento marte pugnatum : demum Ajasbego cadente , fusis fugatisque cum cæde barbaris , ad centum quindecim cæforum capita in castra sunt delata : quæ cum Ajasbegi capite hastis præfixa , atque proximo loco , ut ab oppidanis conspici possent , admota . Fractus suorum casu Charagus Triballus , qui cum valida militum manu intus erat , disjecta ad hæc jam murorum parte non parva , salutem sibi & oppidanis paciscitur , ut quo vellent , in columnes abire liceret . Oppidum Veneto relictum diripitur , direptumque , subiecto igni , incendio est absumptum . Hinc classis ad Fiscum admota , quod contra Rhodiorum civitatem olim fuit , nunc vestigia tantum visuntur : circumjectus ager vicis habitatur : eum Peloponnesiacus eques in terram expositus cum sociis navalibus prædatus est . Et jam ad Hellesponti angustias superandas animum imperator adjecerat , edixeratque navium præfectis , ut ad eam expeditionem se accingerent : quum oratores a Carlota , Cypri Regis sorore ( quæ multis ante annis a fratre regno pulsa , Rhodi exularat ) affuerunt : nunciant hi , Cyprium Regem , a quo Carlota soror hereditario regno ( quia legitimate nata esset ) per injuriam fuerat spoliata , vita per eos dies decepsisse : orant proinde opem , rogantque , ut amici olim Regis filiam , & Allobrogum Ducis nurum , auxiliis juvare vellet , atque in paternum regnum restituere , unde per injuriam a fratre , verum concubinæ filio , ejecta esset . Ad ea Venetus imperator , veteri Jacobi Regis fœdere & amicitia cum Venetis memorata , omnia dicere , quæ jure præstari possent , se publico nomine Carlotæ præstiturum . Verum mirari se , eam ignorare , regnorum jura in armis , non lege consistere : Nec regnum illi soli , sed Genuensibus quoque , qui ad id tempus non parvam insulæ partem occupatam

*Eam Mocen-  
nicus ad-  
versus que-  
relas Car-  
lotæ Regis  
sororis ceu-  
filiam Ve-  
netam in  
regno con-  
firmat.*